



A 231  
5

Aufg. Sammelbd. 2. Bd.

Hist.

III. c. 0.



u 21  
DISSERTATIO PHILOLOGICA

AD

Ebr. IV, 12. 13.

QVAM

SVMMI NVMINIS AVSPICIO

ET

CONSENSV AMPLISSIMÆ FACVLTATIS  
PHILOSOPHICÆ,

H. L. Q. C.

Die XXIX. April. c1s 1s CCL.

PRÆSIDE ET AVCTORE

**M. LVDOVICO SVHL,**

REVER. MINIST. LVBEC. CANDID.

IN ILLVSTRI ACADEMIA VARNIACA

PVBLICE DEFENDET,

RESPONDENS

**AVGVSTVS WILHELM. DE MARNE,**

*Sverinensis,*

THEOL. ET PHILOSOPHIÆ CVLTOR.

\*\*\*\*\*  
*Rostochii,*

Typ. JO. JAC. ADLERI, SERENISS. PRINC. AVL.  
ET ACADEM. TYPOGR.



DISSERTATIO PHILOLOGICA

AD

PH. M. M. M.

PH. M. M. M.

M. I. V. O. L. U. M.

IN LITTERA ACADEMICA

PH. M. M. M.

PH. M. M. M.

PH. M. M. M.

PH. M. M. M.





VIRIS  
MAGNIFICIS ATQVE ILLVSTRIBVS  
DOMINIS  
CONSVLIBVS,

VIRIS  
SVMME AC MAXIME REVERENDIS  
DOMINIS  
SVPERINTENDENTI,  
SENIORI  
AC  
PASTORIBVS  
APVD LVBECENSES,  
DOMINIS PATRONIS ET FAVTORIBVS



OMNI  
OBSERVANTIÆ, PIETATIS, REVERENTIÆ  
CVLTV PROSEQVENDIS,  
HOC SPECIMEN ACADEMICVM

CVM OMNIGENÆ FELICITATIS VOTO  
GRATA MENTE REDDIT

PRÆSES,





U T accurate de hoc argumento instituat<sup>r</sup> disputatio,  
monenda quædam sunt primo de significatione vocis  
λογος, cujus consideratio non spernendam profecto  
nobis utilitatem afferet.

§. I.

λογος notat in genere quodvis verbum s. ore prolatum, s.  
literis consignatum; in specie vero vel complexum; l. minus  
complexum, uti Lexicographi uno ore confitentur. Cum vero  
verbum in script. sacra potissimum vel προφορικον vel υποστατικον  
audit, quæritur: ad quod Paulus hic accommodet?

§. II.

Illorum ratio, quæ de λογος prædicantur nostro dicto, ita est  
comparata, ut in utrumque quadret. Christus enim est *verbum*,  
a 3 quod



quod Deus nobiscum communicavit, Ebr. I, 1. est *verbum Dei* Joh. I, 1. seqq. est *vita* in se & in regno suo ejusque membris; pollet *vi maxima* propter essentiam, propter operationes, quæ ex vita, attributis, aliisque monumentis abunde elucet, Joh. I, 3. Eph. IV, 10. Phil. IV, 13. *præstat gladio ancipiti*, quia fecat & dividit, vulnerat & sanat, Pf. XLV, 4. Ef. XLIX, 2. interna ab externis distinguit & in intima penetrat propter omniscientiam, omnifipientiam, omnipotentiam. quod tota in terris conversatio quam optime docuit; *dijudicat mentes pariter ac cogitationes*, tam amicorum quam hostium, Matth. XXI, 2. 3. Marc. X, 33. & Joh. XVI, 26. XIII, 33. Quare procul dubio Spener in *dey Gottheit Christi*, pag. 153. Godfr. Olearius in *Analysi hujus Epistolæ*, pag. 20. Christ. Stock, in *Lexico N. T.*, pag. 624. Sebast. Schmidius, *Comment. in Epist. ad Ebræos*, Alting, Clericus ad *Hammondum h. I.* huic sententiæ calculum adjiciunt.

§. III.

Si vero dicendum, quod res fit, illa, quæ *λογω* tribuuntur ad sensum sufficienter declarandum minime solum conducunt. Nam *verbum Dei scriptum* cunctis fere scripturæ paginis sub nomine *λογω* venit. Idem porro vocatur *verbum Dei*. Christus ipse hanc notionem suppeditat, Luc. VIII, 11. & discipuli ejus cum illo conveniant, Luc. V, 1. Actor. VIII, 14. *vitam hominibus confert* omni modo omnique respectu, Joh. VI, 63. Actor. XIII, 48. 1 Petr. I, 23. Joh. VI, 68. Rom. I, 16. 17. 1 Cor. II, 7. 2 Thessal. II, 13. 14. *vires suas exercet in Judæis & Gentilibus*, in hoc & altero seculo. Quare Jehu potentiam ejus celebrat, 2 Reg. X, 10. Esaias simili plane egregio prædicat, cap. XLV, 10. 11. Jeremias magnifice celebrat, cap. XXIII, 29. & Paulus denique vim ejus tam magnam quam supernaturalem summis laudibus ad cælum effert, 2 Corinth. X, 4. 5. *gladio bicipiti multum antea* & quoad doctrinas & quoad vitam s. comminationes, s. adhortationes, s. promissiones contemplerur, Actor. II, 37. XVI, 14. XXXVI,



XXVI, 27. 28. verum enim a falso, æquum ab iniquo scite separat. In medullis porro ac visceribus hæret, dum in *animum & spiritus*, in facultates superiores ac inferiores, in corpus ejusque membra penetrat, uti ex Pf. XIX, 8. 9. XXIX, 3-9. Pf. CXIX. Act. X, 44. 2 Cor. X, 5. 2 Petr. I, 19. Col. I, 28. Act. II, 37. luculenter apparet; *judex* denique est normativus ob superiorem vim cum illo conjunctam. Judicat igitur inscriptione legis in corde, Rom. II, 14. 15. interna convictione, Joh. VI, 68. 69. timore ob mala perpetrata, acquiescentia virtutum ergo. Judicat strenue, accurate, absque partium studio de cunctis, quid doctrinam Joh. III, 18. quid *mores*, I Thessal. IV, 1-6. quid Deum & Christianum deceat? 2 Timoth. III, 16. 17. judicat itaque tam interne quam externe, tamen liberrime.

§. IV.

Omnia igitur hætenus disputata rem eo adducunt, ut de utroque procedat argumentatio, non vero sensum unicum & verum hujus dicti explanant, multo minus Christo *λογον* solummodo vindicant.

§. V.

Forfan vero versus 13. h. c. *λογον* per Christum interpretatur, quia dicit:

- a] nulla creatura est illi invisibilis,
- b] oculos memorat apertos,
- c] ad illum respicit, de quo loquitur,
- d] omniscientiam *λογω* assignat.

Sed non opus est, ut ad antecedentem *λογον τῆς Θεοῦ* spectet: quin potius pronomen *αὐτῆς* non ad *τὸν λόγον*, sed ad *τὸν Θεόν* jure referamus, præeunte celeberrimo Wolfio in Curis philol. ad h. l. & sic nulla est ratio, cur in nostro commate ad Christum confu-



confugiamus. Interim tamen membra superius allegata neutiquam probant, quod probare debent. Nam

- a] petitione, quam vocamus principii, aperte laborat. Quænam enim est argumentatio: *Cuiusque nulla creatura est invisibilis, ille est Christus?* Nonne Pater, nonne Spiritus s. nonne tres divinitatis personæ cuncta pervideant?
- b] Oculi aperti notionem verbi divini nullo modo fugiunt, quia & oculos illuminat, Pf XIX, 9. 2 Petr. I, 19. & faciem Dei nobis in conspectum dat, 2 Cor. III, 18.
- c] Argumenta desunt, quæ *in illum* ad Christum necessario referunt. Nec verba, quæ antecedunt; his per jam dicta obviam ivimus; nec, quæ insequuntur, demonstrant hoc. Quodsi enim Paulus novum sermonis initium hic ducat: quid tum?
- d] Suo destituitur fundamento v[er]o a] dictorum. Nec enim animo ac mente complectimur, cur omnisapientia h. l. vel Christo vel verbo divino absolute competat? Ni me omnia fallunt, versus 12. & 13. a se invicem differunt: quilibet enim suum assertum, suam veritatem commonstrat. Deum enim, sed de divino Numine, quatenus se in verbo representavit. Quare Apostolus ab his ad Christum v. 14. se iterum convertit, de quo ab initio capitis sermo fuerat, cf. Wolf. l. c.

§. VI.

His jam occupatis, argumenta prostant sat gravia, quæ *λογος* nostro commate Christo denegant, & e contrario ad verbum divinum & scriptis consignatum & ore prolatum provocant.

§. VII.

I.] *In scopum Apostoli*, quod si inquiramus, l. generalis, l. specialis, l. specialissimus erit, *Generalis* cujusdam libri summam sub se com.



comprehendit. Hæc autem in epistola ad Ebræos recens conversos ex dispersis attingit, ne gratia divina ob seductionis periculum iterum excidant. Ad hanc Apostolus partim docendo, partim comminando partim flectendo, partim suadendo Ebræorum animos appellit, & rationibus egregiis illam docet; quare non Christus, sed verbum divinum præcipue intelligitur. *Specialis scopus* ad illam pericopen pertinet, de quibus sermo est, & h. l. ad totum caput quippe quod a neglectu requiei summæ retrahit, cujus naturam Paulus ut excellentem, divinam, exquisitam, vivis quasi coloribus pingit & causas maximi momenti exinde deducit. Quodsi autem scopus cap. in eo versatur, non potest ad Christum, sed debet ad verbum literis consignatum primario referri. Hoc enim hujus requiei impedimenta de industria removet, media confert saluberrima, rationibusque fortissimis animos munit hoc in fine, ut Ebræi ductu promissionum tranquillitate illis assignata potiantur. Scopus tandem *specialissimus* ex singulis dicti phrasibus, verbis, ceterisque circumstantiis, quas sacri Auctores literis consignarunt, elucet. Hic rite applicatus h. l. non in verbum *υποστατικον* sed *προφορικον* quadrat, quia Paulus comminationis ergo argumenta in medium protulit & oratio illius in v. 12. ad verbum Dei revelatum, in v. 13. ad summum Numen se convertit. Quæ itaque Paulus distinguit, ea, ut nos distinguamus, necesse est; hinc *λογω* nec Deus nec Christus, sed verbum potius divinum absolvitur.

II.] *Forma dicendi* apostolica *λογω* semper ad verbum scriptum, nunquam ad Christum refert, quoties illius in literis suis meminit. Quænam igitur necessitas premit nos, ut a consueto dicendi genere recedamus, ut sensum minus proprium proprio præferamus, ut mysteria fingamus, ubi nec vola nec vestigium illorum adest. Parallelismus itaque & loquendi ratio aliis quoque locis conspicua probant *λογω* hic esse *προφορικον*.

III.] *Illæ quæ antecedunt*, huic expositioni quam maxime favent. Namque v. 2. verbum diserete memorat a Christo, Pro-

[ b ]

phetis,



phetis, Evangelistis, Apostolis prædicatum v. 7. vocem Dei celebrat ore & scriptis manifestatam. Vox itaque prædicationis, vox Dei, revelatio, scriptura, non vero Christus hic in censum venit.

§. IX.

Cum vero *λογος προφορικος* constet lege ac evangelio: quaeritur, utrum conjunctim l. separatim ad *λογον* pertineat? Si usum vocis *τὸς λογος* pensitemus, occurrit in scr. s. l. *generatim*, l. *speciatim*. Sin *prius*, denotat verbum Dei prædicatum, Matth. X, 14. Gal. VI, 6. Sin *posterius*, modo *evangelii professionem*, Act. VIII, 14. XI, 1. XVII, 11. Joh. IIX, 31. 1 Theff. I, 6. modo *evangelii confessionem*, Matth. XIII, 21. Marc. IIX, 38. Luc. IX, 26. Act. IV, 29. Apoc. I, 2. modo *evangelium ipsum*, Phil. I, 14. Marc. XVI, 20. Act. IIX, 4. 2 Cor. V, 19. Eph. I, 13. Col. I, 5. 1 Theffal. I, 8. 2 Theff. III, 1. Nunquam *λογος* legem tantummodo innuit, adeoque nec h. l. evangelii autem professionem l. confessionem hic nulla stabilendi deprehenditur causa, quare notio evangelii remanet, cui calculum nostrum merito adjicimus.

§. X.

Rationes hujus asserti sunt in promptu 1) *Contextus* suadet. Paulus illud enim verbum nobis ante oculos ponit, quod alterius vitæ requiem præ se fert, quod fidem hominibus largitur, quod populo Dei est proprium; quod incredulitati remoram injicit Christumque prædicat. Cuncta hæc nec legi nec alteri cuilibet competere possunt nisi evangelio. § 11.

2) *Comma nostrum* docet. Quæ enim de *λογος* prædicantur, hic certe legi non ex asse respondent. Lex quidem est verbum Dei, at non *κατ' ἐξοχην* uti euangelium; non vitam, sed mortem annuncians, 2 Cor. III, 6. Lex vi quadam gaudet, non vero illa, quæ hominem mutat & ad frugem redigit salutariter. Lex judicat, sed non de requie, hinc significatum *λογος* respuit. Evangelium omnia sibi vindicat, Est verbum Dei prædicatum, Joh. I, 18.

1 Cor,



1 Cor. II. Deus in protevangelio primis parentibus idem annunciat, Gen. III, 15. Abrahamo cognitum fecit, Gen. XII, 3. XLIX, 18. Salvator partim ipse manifestavit, Ebr. I, 1. partim Evangel. & Apost. ministerio promulgavit, Marc. XVI, 15. 2 Cor. V, 20.

Evangelium est *vivum* & in se, & in operatione. *In se*, quia a Deo provenit, insitam vim habet vivificam instar fontis vivi, Christumque vivum pro fundamento agnoscit. 2 Cor. V, 14. 15. 19. Joh. VI, 69. *operationum* ergo homines reddit vivos, quatenus iis favorem Dei gustandum præbet, illosque vivo solatio erigit, ac vitam illis confert, Joh. VI, 68. XII, 50. Rom. VI, 23. 1 Cor II, 7. Act. V, 20 &c. est *efficax*, Pf. XLV, 6. Jes. LV, 11. 2 Cor. X, 4. 5. Rom. I, 16. *efficax* in mutandis hominibus, de quo Lactantius lib. III. cap. XXV. XXXVI. de falsa sapientia egregie disserit:

„Da mihi virum, qui sit iracundus, maledicus, effrenatus, „paucissimis Dei verbis tam placidum reddam quam ovem: da „cupidum, avarum tenacem, tam liberalem tibi dabo & pecuniam suam plenis manibus largientem; da timidum doloris ac „mortis, jam cruces & ignis & taurum contemnet; da libidinosum, adulterum gantonem; jam sobrium continentem & castum „videbis; da crudelem & sanguinis appetentem, jam in veram „clementiam furor ille commutabitur.„ Haftenus ille Evangelium *superat gladium bicipitem*, gladio convenit iudice Davide Pf. XLV, 4. Paulo Ephes. VI, 17. *Biceps* autem dicitur, quia duplici modo suam exferit vim cum erga amicos tum erga hostes; hinc Johannes illud gladium bicipitem ex ore Christi vocat, Apoc. I, 16. Iste naturalem gladium longo post se intervallo relinquit. Hic enim ferit tantum corpus: ille animam & corpus simul. Hic detrimento est: ille ad salutem tendit. Hic a Deo: ille ab hominibus originem trahit. Hic hostes quosdam in fugam coniecit: ille omnimodos prostermit. Hic nec intellectum illuminat, nec voluntatem emendat, ille utrumque. Evangelium itaque pervadit in aures, pervadit per ora, per animos, per cogitationes, adeoque cum Ebraeos tum Christianos a simulatione, ac confidentia operum ad evangelii tranquillitatem retrahit.



§. XII.

3) v. 13. *probat* illustratione quadam vel

a) *ex antiquitate Judaica.* Sacerdotes V. T. diligenter observabant: num quid maculae in pecude deprehendi posset, quarum causa Deo displiceret. Tempus illud inter separationem & mactationem, quo inquisitio illa fieret, vocant scrutinium quatuor dierum cf. Lightfoot Hor. Ebr. & Talmud. T. II. p. m. 676. Pari ratione Deus & hominum mentes & cultum suum penitus intime introspicit, adeoque scite dijudicat; quinam vere, quinam simulate, quinam ore, quinam corde simul ac opere illum ejusque requiem profitentur, hinc legis servitus nil prodest, sed evangelii potius libertas & auxilium ad aeternam ducit felicitatem.

§. XIII.

Qui vero hanc similitudinem in dubium vocant, quoniam nec a Lightfoot, nec qui eum sequuntur ostensum est *τὸ παλαιὸν* (εὐδαι) eum sensum unquam habuisse aut habere posse, illos remittimus ad Perizonium in notis ad Aelianum lib. XII. c. 59, qui simile b) *ab illis repetit*, quorum capita reclinantur, ne intuentium oculos fugiant & lateant, quod hominibus, qui ad supplicium ducebantur, usu olim accidebat. Confirmat hoc Plinius Panegyry, cap. 37. his verbis: *nil tamen gratius, nil seculo dignius, quam quod configit, desuper intueri delatorum supina ora retortasque cervicis.* Stante hac sententia sensus commatis eo reddit: Licet homines improbi maxime avertere faciem suam & latere vellent, tamen nihil omnino fugere vindicem Dei oculum posse, sed nuda omnia retortis quasi cervicibus obversisque Deo vultibus penitus cognosci. Adde etiam in caelestium Deorum sacris resupinatas fuisse victimas, ut Diis superis offerri appareret cf. Elsneri obs. f. ad h. l.

§. XIV.

4) *Notio τῶν ἁγγέλων* confirmat. Nunquam legem Apostolus Dei nomine nuncupat, nunquam originem ejus a supremo Numine repetit, quando cum Ebraeis aut cunctis fidelibus loquitur, sed potius cap. II. 2. angelos uti legis internuncios celebrat. Hinc evan-



evangelium a lege distinguit ita, ut sit Dei. Hæc notio illi competit primario, quia 1) essentiam & existentiam Deo debet, 2) a scriptoribus nomine & mandato divino literis consignatum est

§. XV.

Fortassis vero ex his conficitur, *λογον & υποστατικον & προφορικον* hic sibi invicem non opponi, sed subordinari, quia 1) fecunditas sensus id postulat. 2) Paulus differit de Christo, quatenus per verbum loquitur & operatur, de evangelio vero, quatenus Christum pro centro suo reputat. Ast quod *posterius* attinet hæc argumentatio parum apud me valet. Finge autem, quod apud me multum valeret, obstaret, quod Deus etiam per verbum loquatur, & Christus sit Dei filius. Nulla autem in textu adest ratio, cur Christus h. l. uti centrum euangelii prædicetur, licet revera sit. Ne autem cramben bis coctam recoquamus, lectores ad argumenta quæ pro evangelio pugnant, remittamus. Quod *prius* attingit, laudamus fecunditatem sensus, si præsto est, improbamus autem, si fundamento caret, quia hoc modo veritas & certitudo hermenevtica caderet. Sensus fecundus requirit, ut plures ideæ in loco quodam secum conjungi & sibi subordinari tam possint quam debeant. Prius l. c. concedimus, posterius autem plane negamus. Causæ ex antecedentibus sunt in promptu nec probatione indigent. Digito tantum intendimus; magnum intercedere discrimen: sensum in dicto quodam cum ceteris junctum & ab illis separatam: dein toto differunt celo ea, quæ ab interprete conjunguntur & hypothesis ergo cum sensu propositionis conjungi possunt: ab his, quæ ipso ejus sensu comprehenduntur & insinuantur. Cum porro duplex detur fecunditas, quam vel logica l. grammatica poscit, nec una nec altera *τὸ λογικὴν* fecunditatem h. l. injungit, quare mittamus illam, ne ex imaginaria fecunditate unitas sensus damnum capiat.

§. XVI.

Dubia quædam supersunt, quæ utrumque, coherentia ergo conjungere volunt, quibus dicam scribimus.

[ b ] 3

Obj. I.



OBJ. I. *Apostolum de requie differere, adeoque de Christo ipso, nec de solo evangelio in altera vita cessante.* Resp. Requies Christi, ad quam Paulus respicit, vel ad gratiæ vel ad gloriæ regnum, vel ad utrumque spectat. Quicquid sit, est requies promissionis v. 1. Cap. nostri, quare fide apprehenditur, quam evangelium donat & conservat. Est porro *requies divina* v. 1 - 12. non solum Christi, sed totius SS. Trinitatis. Est denique requies jam in V. T. cognita, sub quo Christus nondum erat incarnatus. Licet enim evangelium cum fide in altero seculo cesset, tamen in hoc manu nos quasi ducit, hujus & illius vitæ requiei participes ~~framus~~ His itaque rationibus confirmamus evangelium.

OBJ. II. *Paulum loqui de requie die sabbathi adumbrata, cujus dominus est Christus.* Resp. Si hæc sententia esset explorata, unum necessario tolleret alterum, sed requies sabbathica nullum legale hic involvit, quin potius adumbret typum sabbatismi & spirituales & æterni, quippe qui duce evangelii quam optime & instituitur & celebratur. Qua enim ratione concipi potest sabbatismi hujus introitus nisi auspiciis evangelii,

OBJ. III. *Apostolum & in antecedent. & in subsequentibus memorasse Christum & evangelium, adeoque hic illum considerasse.* Hanc objectionem ambabus amplectimur, quia utrumque ad evangelium attinet. Accedit huic insuper, quod præfens dictum non primario Christum, sed evangelium respiciat, uti superius evicimus. Remanet itaque unus literalis hujus commatis sensus; remanet modo evangelium voce *logos* comprehensum.

## §. XVII.

Ufus tractationis duplici modo infervit.

1) *Hebræis*, quibus assertio apostolica de verbo evangelii valde necessaria fuit, quoniam legi ceremoniarum addicti ore non autem ex Animi sententia evangelium profitebantur. Ne autem falsa opinione decipiantur atque felicitate summa excidant, Paulus evangelium ejusque excellentiam illorum animis representat,



sentat, quo erroribus suis nuncium mitterent, & quietem diurnam ejus auxilio consequerentur.

2) *Interpretibus script. s.* ne pruritu novaturiendi aut veterum sententias penitus despiciatui habendi a veritatis tramite abducantur. Quantum detrimenti ista cacocœthes & scientiis & pandectis sacris afferat, quotidiana loquitur experientia. Præjudicatas sententias plurimi susque deque habent & aliorum cœcam imitationem cane pejus ac angue fugiunt, & hætenus bene sed propria effata adorant & novis rebus inconsulte student. Qui in hanc censuram ex interpretibus nostri seculi incurrant, dijudicari potest facili negotio. Quo major autem est horum numerus, eo majori cura novitatem in interpretando ponderemus, ne cogitationes hominum & figmenta rationis locum divinorum oraculorum occupent.

### Corollaria.

- 1) Datur Actio indifferens, datur non
- 2) Circulus est vitiosus & non vitiosus.
- 3) Animæ ortus a nobis distincte explicari nequit.
- 4) Deo competunt affectus & non
- 5) Affectus sua natura non sunt mali adeoque nec ira, nec invidia.



PRÆ-



PRÆNOBILISSIMO AC DOCTISSIMO  
Dn. R E S P O N D E N T I

S. P. D.

PRÆSES.

Quo minus commendatione mea, si quidem mea esse potest quadam commendatio, indiges, eo breviori oratione me expedire possum. Interim ex laudabili TVA diligentia lætisq̃ studiorum progressibus voluptatem capio singularem, quam his literis significandam esse putavi. Non solum in acroastibus theologicis Virorum summe Reverendorum DD. BVRGMANNI & HARTMANNI, in disputatoriis summe venerandi Dn. HARTMANNI ut Auditorem indefessum, & Opponentem vel Respondentem strenuum, sed etiam in conversatione veritatis amicum, virtutis æmulum TE semper cognovi. In congressu itaque solemnem eundem TE præbebis, quem in privato jamdudum cognitum habui. Gratulor TIBI in antecessum dexteritatem TVAM in conspectu solemnem ipsa comprobendam ex animo. Utere dotibus quas natura & gratia TIBI concessit & concedet, quarum studio TVO auxisti & augebis quotidie, ad bonum publicum, civitatis Dei & ecclesie salutem. Quicquid officiorum ab homine meæ sortis proficisci poterit, ad id omne habebis me paratissimum. Vale, meque amare perge!

Dabam e Museo d. XX, April. c1o 1o CCL.





AB: 153 137

ULB Halle 3  
003 898 784



VD 18


56.

R


WAT











u

21

DISSERTATIO PHILOLOGICA

AD

Ebr. IV, 12.13.

QVAM

SVMMI NVMINIS AVSPICIO

ET

CONSENSV AMPLISSIMÆ FACVLTATIS  
PHILOSOPHICÆ,

H. L. Q. C.

*Die XXIX. April. c1o 1o CCL.*

PRÆSIDE ET AVCTORE

**M. LVDOVICO SVHL,**

REVER. MINIST. LVBEC. CANDID.

IN ILLVSTRI ACADEMIA VARNIACA


PVBLICE DEFENDET,

RESPONDENS

**AVGVSTVS WILHELM. DE MARNE,**

*Sverinensis,*

THEOL. ET PHILOSOPHIÆ CVLTOR.



*Rostochii,*

Typ. JO. JAC. ADLERI, SERENISS. PRINC. AVL<sub>2</sub>  
ET ACADEM. TYPOGR.